



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

II. An Deus videatur, aut quiddit atiuè videri possit per aliquam similitudinem vel speciem creatam, seu cognitione intuitiua, seu abstractiua, etiam secundum potentia[m] absolutam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

in simili dicitur Exodi 33. v. 11. *Loquatur Dominus ad Moysen facie ad faciem; sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Neq; verò ibi *facies* significat claram Dei visionem, cum hoc sensu ea Moysi ibidem v. 20. denegetur.

S. Pauli verò raptus 2. Cor. 12. v. 2. & 3. intelligitur de singulari aliqua reuelatione; siue ea contingerit in triduo illo statim post conuersionem, A. stor. 9. vt nonnulli volunt; vel aliquot annis post, vt alij existimant.

DVBIVM II.

An Deus videatur, aut videri, seu quiddam in se cognosci possit, per aliquam similitudinem & speciem creatam, seu cognitione intuitiua, seu abstractiua; etiam secundum potentiam absolutam.

S. Thomas 1. p. 12. a. 2.

DVplex hic controuersia Scholastica excutienda proponitur; vna communis; an Deus ab intellectu beati per aliquam speciem, siue similitudinem creatam intuitiue videatur, aut saltem videri possit; altera particularis cum Scoto; anne possibilis sit species impressa, qua Deus cognitione quidditatiua, non quidem intuitiua, sed abstractiua clare cognoscatur.

Et quod ad primam controuersiam atinet. Notandum est, quadruplicem distingui posse similitudinem creatam, de qua queri potest, an per eam Deus clare & intuitiue videatur; Prima dici solet impressa, quia imprimitur intellectui; & est species intelligibilis; secunda dicitur expressa; tum quia per intellectum quasi exprimitur & formatur; tum quia actualis & expressa similitudo est rei visæ; & est ipsa notitia, vt qualitas, seu verbum mentis, per actionem intellectus expressum; tertia vocatur obiectiua, quæ per modum imaginis prius ipsa obijci & cognosci debet, quam in ea, aut per eam aliud cognoscatur; vnde etiam vocatur medium cognitum; quarta est similitudo quædam Dei, seu intellectus diuini, non in representando, sed in essendo, per participationem & conuenientiam in virtute intelligendi; quæ se tenet non ex parte obiecti, sed subiecti, siue potentia, vim ei conferens videndi essentiam diuinam; quam S. Thomas hic q. 12. a. 2. docet esse ipsum lumen gloriæ.

Hoc posito, in præsentem non est controuersia vlla de similitudine obiectiua, seu per modum medij cogniti; hanc enim ad videndum Deum, nec reipsa concurrere; nec in visione Dei intuitiua, etiam de absoluta potentia Dei, possibile esse fatentur omnes; cum hoc ipso, quod res aliqua per medium cognitum, saltem creatum, cognoscitur, non cognoscatur intuitiue in seipsa. Et hoc minimum probant rationes S. Thomæ quæst. 12. a. 2. vt fatetur Vasquez disp. 39. cap. 2. & disp. 38. cap. 4. vbi etiam num. 24. recte addit; si quod tale medium, etiam solo numero distinctum sit ab obiecto cognito, habens aliqui eandem perfectionem specificam

cum obiecto, (quod ipsum tamen respectu Dei impossibile est) non posse hoc in eo intuitiue videri.

Neque etiam in proposito quæstio est, de similitudine quasi in essendo, ex parte intellectus; de hac enim agitur apud S. Thomam art. 5. & à nobis dub. 3. Et ad vtramque etiam prædictam similitudinem excludendam in titulo diximus, an videatur Deus per similitudinem & speciem creatam; hoc est, per similitudinem, quæ sit species. Solum ergo quæstio est de duplici alia similitudine, nimirum de specie expressa, & impressa, de qua quæritur, non solum an de facto detur, sed etiam an sit omnino possibilis.

In qua quæstione, prima sententia simpliciter negat, in visione Dei, aut reipsa interuenire, aut etiam possibilem esse speciem Dei creatam, siue impressam, siue expressam. Ita docent Henricus quodlib. 3. q. 1. & quodlib. 4. q. 8. Caietanus 1. p. q. 27. a. 1. Zumel, & recentiores Thomistæ hic q. 12. a. 2. vel quæst. 27. a. 1. & citant pro se S. Thomam cit. a. 2. Eandem sententiam, quoad speciem expressam, problematicè defendit Torres 1. p. quæst. 27. a. 1. disp. 5. dub. 4. certus interim, speciem impressam Dei nullo modo esse possibilem. Adducuntur autem præcipue in eam sententiam; quia non satis defendi posse existimant, speciem Dei impressam in visione non esse possibilem, si detur species eiusdem expressa.

Secunda sententia est altero extremo; quæ docet, reipsa visionem Dei fieri per speciem Dei tam impressam, quam expressam. Ita Vasquez 1. p. disp. 43. n. 4. 32. 33. vbi etiã docet, speciem impressam esse ipsum lumen gloriæ; ac simul d. 39. multis conatur S. Thomam q. 12. art. 2. & alijs in locis, in eandem sententiam pertrahere: sed frustra; contradicentibus non solum tam Sæctoribus, quam S. Thomæ aduersarijs omnibus; sed etiam ipsis apertissimis verbis, & toto contextu orationis, vt pluribus ostendit Suarez lib. 2. de Deo cap. 13. num. 5. vbi eam explicationem, velut incredibilem, & quæ apertam vim inferat verbis S. Thomæ, aliaque etiam plura & grauiora absurda imponere eidem cogatur, fuse refellit; vt in re tam manifesta minime opus sit pluribus laborare.

Huic sententiæ, visionem Dei fieri per speciem impressam, fauet etiam Richardus in 3. dist. 14. a. 1. q. 3. vbi sentit, eam sententiam esse probabiliorẽ, posito, quod visio fiat ab intellectu; idemque refert etiam alios sensisse. Faut etiam Scotus infra, & in 4. dist. 49. q. 11. vbi ait, rationes, quibus probari solet, non dari talem speciem, nihil probare; quamuis interim ipse non dicat dari.

Citatur quoque in eandem sententiam Aureolus ex Capreolo in 4. dist. 49. q. 5. a. 2. Sed Aureolus in libris sent. de hac re nihil habet. In quodlibetis, quæ citat Capreolus, quodlib. 18. a. 1. solum dixit; *si debeat tolli species, à beatifica visione, hoc non facere, nec rationem facialis & claræ notitiæ; nec limitationem seu limitationem creatæ speciei, propter opinionem* (S. Thomæ) *quæ reservationes assignat, &c.* Quocirca in specie eiusdem rationes refellit; non tamen ideo sentit, dari speciem; imo art. 2. expressè docet, non videri Deum, per aliam creatam similitudinem, aut speciem, quam per ipsum actum visionis, & vniuersim in nulla intellectione vel cognitione dari speciem distinctam à cognitione.

Addit Suarez lib. 2. c. 12. n. 2. multos Theologos idem sensisse, & Zumel q. 12. a. 2. d. 2. ait, esse plurimos Theologos, ita docentes: quos referat Capreolus; cū tamen nec iste, nec Aquarius in additionibus ad eundē, plures referat quā Aureolū & Scotum; & hoc ipsum tamen non rectē, vt dictū. Vnde plane videtur ea singularis esse sententia; cum nullus ex citatis eam absolutē & simpliciter vt veram defendat præter Vasquez. Multo minus quisquam dixit, speciem intelligibile esse ipsum lumē gloriæ, vt dicitur dub. seq.

Tertia sententia est, re ipsa quidē visionē non fieri per speciem, nisi expressam; secundum absolutā tamen Dei potentiā, etiā impressā non esse impossibile. Ita præter Scotū, Aureolū, Richardū, cit. docet Gregorius de Valēria hic q. 12. pun. 2. Molina a. 2. d. 1. Suarez lib. 2. c. 13. quos alij quidā recētiore sequuntur.

6 Quarta sententia est, visionē fieri quidē per creatā speciem expressam; impressam autē etiā secundū absolutam Dei potentiā esse impossibile. Ita sentiunt Marfilii 3. q. 10. a. 2. Durandus 4. d. 49. q. 2. Capreolus 1. d. 27. q. 2. a. 3. Sotus 4. d. 49. q. 2. a. 3. Ferrarientis 1. cont. gent. c. 63. eiusdemq; posteriorē partē sequitur; priorē verō problematicē defendit Torres l. c. & est sententia S. Thomæ, quoad vtramque partem, vt inferius dicemus.

Iam verō quod attinet ad alterā controuersia, est sententia Scoti 2. d. 3. q. 9. & in quodlib. q. 6. & 7. vbi diuidit cognitionē Dei quidditatiuam in *abstractiuā*, quæ abstrahit ab existētia: quæq; ad eō Deus non cognoscitur, vt præsentialiter existens: & *intuitiuam*, qualis est visio beatificā; & docet, posse dari speciem propriā & quidditatiuā Dei, qua De⁹ ab homine seu Angelo, etiam manente statu puri viatoris, clarē, & quidditatiuē cognoscatur cognitione abstractiuā, non tamen intuitiuā.

7 Assertio I. Re ipsa, Deus à beatis videtur per speciem expressam, seu per notitiā ac verbū mentis, productum velut terminū actionis, qua à Beatis producit visio beatificā. Ita contra Henricū, Caietanum, Zumel, aliosq; recentiores Thomistas, relatos pro 1. sent. docent, Scotus 4. d. 49. q. 2. a. 3. Ferrarientis, Capreolus, Sotus citati pro 4. sent. item Suarez lib. 2. cap. 11. Vasquez disp. 38. cap. 2. & probabiliorē cenfer Torres loco citato.

Eadem est sententia S. Thomæ, qui non solum indefinitē ac generatim asserit, intellectione produci verbum 1. p. q. 27. a. 1. & q. 9. de potentia a. 5. & lib. 4. cont. gent. c. 11. & 12. sed etiā expressē ait q. 4. de verit. a. 2. in omni intellectione, etiā illa, quæ est visio, procedere verbū, seu conceptionē: *quod, inquit, vniuersaliter verum est de omni, quod a nobis intelligitur, siue per essentiam videatur, siue per similitudinem.*

Eadem est expressā sententia S. Augustini lib. 15. de Trinit. c. 16. vbi de beatifica visione loquens ait: *Tum quidem verbum nostrum non erit falsum; quia negamentemur, neq; fallentur.* Similia habet lib. 9. de Trinit. c. 7. 10. 11. & lib. 14. c. 16. & 17. Ratio est. Quia omnis realis actio habet realem terminum productum, cum quo identificatur, vt ex veriori Philosophia suppono: actio intellectionis, est vera & realis actio, vt fatentur omnes: Ergo habet realem terminum, qui non potest esse alius, quam verbum, seu notitia ipsa; non vt actio est, sed vt qualitas.

Cōfirmatur primo. Quia hæc ipsa notitia est qua-

litas producta in intellectu, utique per actionem intellectionis: Ergo est terminus huius actionis: Ergo est verbum, seu species, ac similitudo expressa: quia hæc nihil aliud est, quam intrinsecus terminus intellectionis, vt actio est.

8 Confirmatur secundo. Aut enim intellectio ipsa est vera actio prædicamentalis, aut solum grammaticalis; ac proinde formaliter qualitas: si primum, vt plerique auctores contraria sententiæ volunt, habebit suum terminum, eumque non alium, quam verbum, quod est ipsamet species expressa. Si secundum, vt vniuersim docent Scotus quodlibet. q. 8. Durandus in 1. dist. 27. q. 2. Gabriel ibidem, Heruæus quodlib. 2. q. 8. Capreolus in 2. dist. 1. q. 2. a. 3. ad 2. Ferrarientis 2. cont. gent. cap. 9. & 82. Caietanus. 1. p. q. 79. a. 2. Ergo ipsamet est verbum, & terminus actionis intelligendi, adeoque similitudo actualis rei cognita.

Ex quo sequitur, non solum re ipsa dari speciem expressam, sed etiam ita necessariam esse, vt sine ea, secundum absolutam quoque Dei potentiā, visio Dei esse non possit, vt rectē Suarez sup. n. 9. qui addit num. 4. oppositum defendi non posse, nisi declinando in opinionem illam; Deum videri per visionem Dei increatam, seipsā formaliter vnitam intellectui creato; quod tamen citati auctores communiter negant, & inferius dub. 4. improbabitur. Neque etiam in contrarium sunt vlla argumenta, nisi quibus illi probare ex S. Thomæ solent, non dari speciem Dei impressam, de quibus infra.

9 Assertio II. Visio re ipsa non fit per aliquam speciem impressam: sed ipsa Dei essentia per se ipsam sufficit ad sui repræsentationem, adeoque ad causandam visionem ex parte obiecti. Ita S. Thomas q. 12. a. 2. vt verba eius claresonant, & ab omnibus (excepto Vasquio) intelligitur; item Alensis 1. p. 7. m. 2. & in 2. p. q. 24. m. 1. Henricus quodlib. 3. q. 1. & quodlib. 4. q. 7. & in sum. art. 33. q. 2. Agidius in Castig. art. 1. Durandus in 4. dist. 49. q. 2. à num. 13. Argentina q. 2. a. 2. Paludanus q. 1. a. 2. Capreolus q. 5. a. 1. Sotus q. 2. a. 3. Marfilii in 3. q. 10. art. 2. Ferrarientis 3. cont. gent. cap. 49. Caietanus, Bannes, Zumel, omnesque Thomistæ hic q. 12. a. 2. Gregorius de Valentia q. 12. p. 1. Molina a. 2. disp. 1. Suarez lib. 2. cap. 12. Nec dissentiant Richardus, Scotus, Aureolus, vt superius dictū; quo fit, vt hæc cōmunis DD. sententia merito dici possit.

Ratio est. Non quia vniuersim visio fieri non possit per impressam speciem; hoc enim falsum est, vt ex dictis liquet; sed quia præter ordinarias diuinæ providentiæ leges est, plura adhibere actionis principia, vbi ad cōnaturalem eius modum pauciora sufficiunt. Neque verō vnquam datur species impressa intellectionis, nisi quando obiectum per se immediatē non est sufficiens ad causandam ex parte obiecti cognitionem, vt inductione patet: hic autem Deus ipse abunde sufficit, vt concurrat per modum obiecti immediatē, sine vlla specie impressa: Ergo non est opus vlla tali specie.

Minor declaratur. Quia species intelligibiles, vt & sensibiles, tres tantum ob causas ponere necesse est: prima, vt obiectum coniungatur potentiæ, ne fiat actio in distans: secunda, vt obiectum, quod ob materialitatem suam est improportionatū potentiæ,

fiat.

fiat mediante specie proportionatum; seu potius, ut quia ipsum obiectum materiale per se non potest proportionatum potentiae reddi; species eius loco obiecti repraesentat: tertia, ut velut instrumentum connaturale obiecti efficiat vna cum potentia, loco obiecti cognitionem, ut docent S. Thomas 1. p. q. 5. 6. a. 1. & 1. cont. gent. cap. 5. 1. & seqq. Scotus in 1. dist. 3. quaest. 7. & in quodlib. q. 15. Albertus in sum. de hom. part. 2. tract. 1. de sensibus, & Capreolus 1. dist. 3. q. 1. Suarez lib. 2. cap. 12. n. 11. & quamquam non pauci sentiant, species impressas tantum materialiter & dispositivè, non instrumentaliter concurrere; quam communem esse Graecorum, testatur Pricolimitius; & sequitur Toletus lib. 2. de anima quaest. 12. de sens. extern.

10 Præter hæc verò munera speciei impressæ; nullum potest excogitari aliud, quod ad prædicta non reuocetur. Nam informare potentiam, eique inherere, per accidens est, ut patet tum in Dei intellectione, tum Angeli, seipsum per suam substantiam intelligentis Repræsentrare item obiectum, & determinare potentiam ad certam speciem actus, spectant ad secundum, & tertium officium superius relatum; siquidem id species hoc ipso facit, quod cum debitam habeat cum potentia proportionem ex parte immaterialitatis, ac connaturale quoddam obiecti instrumentum sit, ex parte obiecti effectivè concurrat ad certam speciem actus ab obiectu desumptam, non ad aliam.

Iam verò ex tribus istis, nulla est causa, ob quam Deus specie egeat, ut se intellectui creato, alioqui sufficienter ad visionem instructo repræsentrat. Primum enim est intimè coniunctus & vnitus potentiae, per localem indistantiam: secundò est summè immaterialis, adeoque secundum se vel maximè intelligibilis, non solum potentia, ut de substantia materiali loquitur Aristoteles 3. de anima t. 18. sed etiam actu: tertio est per seipsum sufficientissimus, ut effectivè, vna cum potentia, per modum obiecti concurrat ad visionem, adeoque seipso eadem est sufficienter vnitus, etiam per modum principij & causæ: quid ergo deest, quò minus absque specie concurrat ad visionem?

11 Dices; etiam tunc, cum obiectum est nimis immateriale, dandam esse speciem, ut proportionetur potentiae. Respondetur, cum hoc accidit, ex parte obiecti defectum non esse, cum ex se sit vel maximè intelligibile: sed ex parte potentiae; quæ proinde altiori lumine seu virtute confortanda erit; alioquin nec si detur quidè species, videre poterit obiectum; cum eius intelligibilitas per speciem non reddatur inferioris ordinis. Atque hoc ipsum etiam argumentum probat, hunc solum esse connaturalem modum videndi Deum; quandoquidem species non dantur, nisi ex defectu obiecti principalis, ut dictum.

Qua de causa etiam in hac materia, non propriè dicitur, Deum in visione *supplere locum speciei intelligibilis*, ut quidam Theologi loquuntur; & vniuersam nostræ sententiæ autoribus tribuit, & hoc ferè solo sensu, eandem sententiæ impugnat Vasquez disp. 43. passim, præsertim e. 3. sed potius dicendum, Deum absq; specie intelligibili, & eius vicario concursu, ex proprio quasi officio & auctoritate, ex parte obiecti, seipso immediatè concurrere ad visionem; quia, ut dictum,

species per se non requiritur, ad cognitionem, sed tantum ex defectu obiecti; cuius alioqui est per se concurrere.

Hinc species dicitur *vicaria obiecti*, cum id seipsum non potest immediatè repræsentrare potentiae; obiectum autè non est dicendum vicarium speciei, cum id per se potest facere. Sicut Rex per seipsum regium munus obiens, non dicitur id facere, locò, aut vice sui ministri; sed cum id Rex per seipsum non facit, dicitur Legatus aut Vicerex id facere loco Regis. Atque in hanc sententiæ optimè intelliguntur Richardus & Scotus apud Vasquez dist. 43. n. 26. dum negare videntur, Deum loco speciei concurrere: cum interim Scotus ibidem aperte fateatur, lumen gloriæ sine specie ad visionem sufficere. Rectè tamen nihilominus dici potest, Deum *per modum formæ intelligibilis*, seclusis imperfectionibus, seipso immediatè vniri intellectui Beati, ut cum S. Thoma omnes communiter loquuntur.

12 Assertio II. Probabilitas videtur, implicare contradictionem, ut detur species impressa, per quam Deus videatur. Est expressa doctrina S. Thomæ hic q. 12. a. 2. ubi ait; *Dicere, Deum per similitudinem videri, est dicere, divinam essentiam non videri*. Eodem tēdunt rationes, & totus discursus S. Thomæ: quem ita communiter intellexerunt omnes eius interpretes, & Antagonistæ, ut in specie de Scoto & Aureolo dictum, quicquid Vasquez cit. d. 39. aliò verba eius trahere nitatur; tanquàm si loquatur solū de verbo mentis, quod veluti medium prius cognitum, intercedat in visione; ipsum vero lumen gloriæ sentiat esse speciem impressam, per quam re ipsa Deo videatur: quæ ut dictum, non solū est noua & singularis interpretatio, sed etiam à verbis S. Thomæ profus aliena, ut prolixè ostendunt Suarez loco citato, & Zumel hic quaest. 12. a. 2. d. 1.

Eandem sententiæ tradiderunt Henricus, Egidius, Marsilius, Durandus, Capreolus, Scotus, Ferrarientis, Caietanus locis assert. præced. citatis, Zumel quaest. 12. a. 2. d. 3. Bannes d. 2. alijsque Thomistæ recentiores omnes: quam proinde sententiæ communiorē inter Theologos rectè dixeris: etsi contrarium sentiant post Scotum, Aureolum, Richardum, superius citatos, Gregorius de Valentia, Molina, Suarez citati pro tertia sententiæ; item Vasquez disp. 43. num. 4. 3. 2. 33.

Hæc verò Assertio probatur à S. Thoma hic tribus rationibus, quas Thomistæ variè confirmare nituntur. Sed cum pariter etiam militare videantur contra similitudinem expressam, quam ideo quidam etiam ipsorum rejiciunt, ut dictum; vix aliquid efficiunt, ut de singulis speciatim ostendunt in contrarium citati.

13 Aliter ergo probo eandem assertionem. Primo ex natura ipsa speciei intelligibilis; cuius proprium & intrinsecum munus est, esse vicariam obiecti, per modum naturalis cuiusdam similitudinis seu instrumenti, cum id ex se non est proportionatum potentiae; seu propter absentiam; seu ob materialitatem; seu ob defectum efficiëntiæ naturalis, seu ob hæc omnia: adeo ut munus eius sit connaturali modo obiectum proportionatum reddere potentiae, cum id antea non est proportionatum: atqui verò, ut dictum assert. præced. Deus per modum ob-

iecti, & ex sua parte, iam antea est optimè proportionatus potentie; modo huius vis intelligēdi, ex ipsius quoq; parte cōpleatur ac perficiatur lumine gloriae, aut simili auxilio, vt dicitur dub. 3. & 4. Ergo non potest respectu Dei locum habere proprium ac intrinsecum munus speciei intelligibilis.

Maiores patet ex dictis assertio, præced. nec ab alijs etiā authoribus negatur. In quem sensum speciatim Suarez cit. lib. 2. c. 12. n. 21, ait: *Species solum poni ad suppleendam absentiam, vel impotentiam subiecti.* Et c. 13. n. 14. *Species, non dari ad eleuandum obiecta ad superiorem ordinem; sed solum, vt suppleant vicem eorū, vel reddat illa accommodata personis intelligentibus.* Dicit aliquis. Quod Deus potest immediatè per se facere, potest etiā facere per aliquod instrumentū. Respondeo; sed non semper connaturaliter, & per instrumentū connaturale.

14

Vnde desumitur secundū argumentū. Species intelligibilis debet verè obiecti esse instrumentū connaturale intellectiois: atqui non est possibile instrumentū connaturale visionis Dei: Ergo, &c. Maior ab omnibus conceditur, speciatim à Suarez c. 13. n. 15. & patet tū inductione; tū quia propterea etiā dicuntur species, naturales similitudines obiecti. Minor probatur primò, quia si esset possibile connaturale eiusmodi instrumentū, tum re ipsa daretur; quia connaturalis quasi, & ordinarius diuinæ prouidentie modus est, vt quoad fieri potest, omnia fiat per subordinata connaturalia instrumenta ac principia; vt patet inductione, in omni rerum genere.

Secundo probatur eadem Minor. Quia nunquam idè effectus adæquate spectatus connaturaliter a què procedit, & ab ipsa principali causa immediatè, & ab instrumento naturaliter subordinato: sed potè vbiq; datur instrumentū connaturaliter subordinatum principali causa, illic per se immediatè, saltem a què connaturaliter, principalis causa eū effectū non producit, & è cōtrario: quod fundatur in illo principio; *Deus & natura nihil faciunt frustra.* Itē, *natura determinata est ad vñ.* Exemplū videre licet, in forma aquæ, quæ cū per se ipsam restituit se frigori, non est credibile, eā ad hoc habere connaturale instrumentū, quo id ipsum facere possit: & è cōtrario, cū eadē aqua subiectū à se distinctū frige facit, per qualitatē à se distinctam; non est credibile, posse id etiā per se ipsam, seu per suā formā immediatè modo connaturali facere. Deniq; vbiq; in rebus creatis obiectum ex se est sufficienter proportionatum potentie, illic non datur naturalis eius species; vbi verò datur, obiectum, ex se non est satis proportionatum.

15

Atq; hoc sanè argumentū apud me plurimū momenti habet. Nec video, si non minus possibilis sit habitualis qualitas, ex parte obiecti connaturaliter producens visionē, quā habitus cognoscitiuus supernaturalis, ex parte intellectus ad eandē concurrens, cur non eque etiā illū Beatissimū indiderit Deo, ac istū; aut non potius, quā istū: eū illud instrumentū obiectiuum teneat se ex parte Dei visi; hoc tantū ex parte potentie; in cuius operandi modo quendam quasi defectum fuisse relictum, solo concursu actuali Dei suppleendum, minus in contentiens foret.

Vnde quidā apud Suarez c. 12. n. 21. non male dixerūt, an de facto detur species in visione Dei, id pēdere ex eo, an sit possibilis. Et Vasquez l. c. speciatim n. 32. & 34. ex possibilitate præcipuè infert existentia talis

speciei: quæ argumentatio in hac quidē materia nō est parui ponderis, vt dictū, Quod si Deus rem quāpiam adhiberet, velut instrumentum ad visionem producendam, id arbitrium quidem ac supernaturale, Dei instrumentum esset, ad hunc effectum; sed non connaturale; ac proinde nec species, vt dictum.

Tertio probatur assertio hac etiā probabiliter argumentatione. Omnis species ab obiecto producta, producit ab eo naturaliter & necessario: sed impossibile est, vt Deus aliquid extra producat naturaliter & necessario, vt omnes fatētur: Ergo. Maior probatur, tū inductione, tū ratione. Quia species est naturalis imago obiecti; ab eoq; procedit in quantum cognoscibile (effectiue) est; quādoquidē reddit obiectū ex sua parte cognoscibile. Ergo, pcedit ab eo in quātū Ens, & nō vt liberū Ens est, ac per voluntatē operis. Respondet quidē ad hoc argumentū Suarez & Vasquez; sed ei suā, pbabilitatē nō adimūt. Atq; hæc argumenta saltem pbabiliore mihi reddūt S. Thomæ sententiā, quæ communiori calculi Scholasticorū hæctenū fuit cōpbata.

His accessit etiā tertia ratio S. Thomæ, hica. 2. quæ ad sequentē modū formata, non est spernenda. Si quæ daretur species clarè Deū vidēdū exhibens & representans, ea deberet esse simpliciter infinita, in ratione representandi; vt pote idonea ad representandū Deū, & omnia, quæ potest Deus representare: hoc est impossibile; quādoquidē in nullo alioqui genere Entis creati absoluti aliquid simpliciter infinitū est possibile, vt dictū q. 4. Ergo, &c. Alia ratio est speciei expressæ, seu verbi metalis; quod cum sit actualis notitia, non debet esse adæquata obiecti, secundum omnem vim representandi, quam id in actu primo habet; sed solum ex ea parte, qua re ipsa & actu terminat visionem; qua ratione solum est finita.

Assertio IV. Nec est, nec esse potest species vlla Dei propria, qua Deo cognoscatur clarè & quidditatiue, cognitione abstractiua. Ita cōmuniter Doctores, nominatim Heruicus quodlib. 2. q. 5. post S. Thomā hic q. 12. a. 2. vbi generatim de specie Essentiæ diuinæ loquitur; vt & citati pro præcedenti assertione; contra Scotū l. c. cui fauet Aureolus q. 2. plog. art. 4. vbi docet, posse in viatore puro dari distinctam, clarā, & quidditatiuā Dei notitiā, ex qua, vt initio questionis dixerat, omnes veritates de personis & attributis, & alijs intrinsicis scientificè possint concludi, quæ sit abstractiua tantū, nō intuitiua: quāquā de specie, ppria ipsius Dei nihil ibidē asserat; nec planè etiā cū Scoto & Heruico (quos idcirco ibidē refutat) cōueniat, in descriptione cognitionis abstractiue & intuitiue.

Probatur assertio. Quia quocūq; modo sumatur & declaretur quidditatiua Dei cognitio, ea sanè postulat, vt essentia diuina, & attributa ac perfectiones essentiales Dei omnes, clarè & distinctè cognoscatur; sed inter alia Dei attributa essentialia, est ipsa etiā existentia Essentiæ, ex dictis q. 1. Ergo impossibile est, vt per quidditatiuā Dei cognitionē nō cognoscatur Existentiā, adeoq; vt quidditatiua cognitio Dei, seu species ppria Essentiæ diuinæ, abstrahat ab existentia, adeoq; sit abstractiua; put à Scoto fuit definita & nō intuitiua.

Sed quia respondet Aureolus, non esse de ratione cognitionis abstractiue, ita abstrahere ab existentia, vt p eā existentia non cognoscatur, quādoquidē datur mathematica demonstratio & scientia, quæ directè probet ipsā Eclipsis existentia; sed & per phantasia *(cuius*

cognitio,

cognitio, inquit, *nō potest nō esse abstractiua* sæpe imaginatur ipsa re vt existētē & præfētē, etiā si fortē re ipsa præfens non sit: addēdum est, non tantum non posse dari cognitionem Dei quidditatiuā, quæ ab existētia Dei penitus abstrahat, eamque plane non cognoscat; sed etiam nec posse vllō vero sensū esse abstractiua, si verē sit quidditatiua, & per propriam speciem Deifiat; quia quomodocunq; definiatur abstractiua notitia, prout ab intuitiua distinguitur, ea ita saltem abstrahere debet ab existētia rei, vt non feratur immediatē (sine medio cognito) & formaliter ac perspicuē in ipsam rem vere ac præfentialiter existētē, vt existētē, clarē scilicet, ac immediatē per propriam rei existētis vt existētis speciem, aut modo æquivalente, cognoscendo eius præfentialē existētiam; quæcunq; enim talis cognitio, intuitiua, non abstractiua est, vt ex communi vocabuli notione à visu desumpta patet: sed si datur species propria Dei, essentiam eius adeoq; Deum ipsum clarē & quidditatiuē repræfensans, impossibile est, quin per eam, immediatē (sine medio cognito) clarē, & distinctē cognoscatur Deus & præfentialiter existens: quandoquidem & existētia eius, & immēstas ac omnipræfentia (ex hypothēsi) est de ratione diuinæ Essentiæ: Ergo impossibile est, vt talis species quidditatiuē, & non intuitiue Deum repræfentet. Vnde colligitur etiam, falsum esse, quod docuit Scotus in 2. d. 3. q. 9. & ferē Gabriel ibidem q. 2. Angelos naturaliter per speciem inditam, cognitione abstractiua, Deum quidditatiue, prout in se est, cognoscere; de quo plura infra de Angelis.

18 Quod verō Aureolus ibidem contra Scotum & Heruzum docet, dari posse intuitiuam rei cognitionem, etiam re non amplius existente; & ad propositum non facit, & propriē loquendo verum non videtur. Neq; tamen interim nego, posse de Deo etiam secundum Essē ac veritates supernaturales, v.g. quod sit Trinus & unus, Deus & homo, &c. haberi cognitionem eidentem abstractiuam, euidentia reuelationis nixam, quæ dici solet euidentia in reuelante: hæc enim non habetur per propriam speciem, sed similis est ei, qualis etiam de naturalibus perfectionibus Dei, per alienas rerum creaturarum species habetur, ab eo, qui demonstrationem de iisdem habet.

Vti nec etiā scientia infusa ipsius Dei, etsi per infusas species habeatur, est per propriā Dei speciem, sed per species alienas creaturarum, vt suo loco docetur. Quod si tali solum modo aliquo putauit Aureolus, in viatore esse, posse clarā Dei notitiā abstractiuam, in re non errauit; sed non rectē tamen eam cognitionem vocauit quidditatiuam, cum ijs cognitionibus nullus proprius & adequatus conceptus essentiæ Dei habeatur, sed Deus per alienas solum rerum creaturarum species cognoscatur, vt dictum.

Obijci potest. S. Paulus ex probabili sententia, etiam in hac vita, quasi in raptu, vidit diuinam Essentiam; eiusq; visionis etiam postea retinuit memoriā euidentem: Ergo signum est, retinuisse speciem, qua etiam antea Deū viderat. Respondeo cū S. Thomas i. p. q. 12. a. 9. ad 2. in simili, negando consequentiam. Solum enim sequitur, Paulum ex ipsa visione Essentiæ diuinæ formasse in se similitudinem quandam tū ipsius visionis Dei, saltem secundū rationem quādam communem; tū eorū, quæ in Deo per eam

visionem vidit; quæ species etiam remāsit post eiusmodi raptū; sic tamē, vt Deū quidditatiue per eā nullo modo amplius cognosceret, sed solū abstractiue.

DVBIVM III.

Vtrum intellectus creatus videre Deum possit naturalibus viribus; an vero indigeat ad hoc supernaturali habitu luminis glorie; idq; etiam secundum absolutam Dei potentiam?

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 4. & 5.

19 Vnt hac in re varij partim hæreticorum etiores; partim Catholicorum sententiæ. Primo enim fuerunt quidam hæretici, qui docuerūt, hominem suis naturalibus viribus posse videre Deum. Ita enim refertur de Beguardis, & Beguinis in Clementina *Ad nostrum*, de hereticis, dixisse eos inter alia, quod quilibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata; quodq; anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum. Huc spectant etiam Anomæi veteres hæretici, qui dyce Eunomio docuerunt, Deum ab intellectu nostro virtute propria in hac vita comprehendere posse, vt videre est apud Nazianzenum orat. 42. & apud Chrysostrum homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, Basilii lib. 1. cont. Eunom. Theodoretū lib. 4. hæret. fab. Hieronymū in illud Matth. 11. *Nemo nouit filium*, & apud Theophylactum in illud Ephes. 3. *in gentibus Euangelizare*.

Secundo ex Scholasticis quidam, saltem sub conditione & hypothēsi, in quā tamen ipsi etiam magis inclinabāt, luminis gloriæ necessitatē negarūt; si nimirū dicatur visio p̄duci à solo Deo. Ita Scotus in 3. d. 14. q. 2. & disp. 3. 1. q. 1. & in 4. d. 49. q. 11. idēq; in simili de amore & fruitione Dei docuit in 3. dist. 12. q. 4.

Tertio alij nonnulli, tamen si plane faterentur, aliquod gratuitum Dei auxilium ad Deum videndū requiri, dixerūt tamen, sufficere extrinsecum, & quasi negatiuū; remouere scilicet impedimenta intelligendi: posse enim naturaliter Deū ab homine videri, si modo & Deus vellet extrinsecē se eidem repræfentare; & impedimentum constitutum in modo cognoscendi Deum, per sensus exteriores, seu per creatum medium, remouere. Ita Durandus in 4. d. 49. q. 2. n. 24.

Quarto vero circa explicationem & naturam luminis gloriæ, etiam ex illis, qui eius necessitatē aliqui profitebantur, ita quidem variarūt, vt re ipsa parum ab ijs, qui eius necessitatē denegarunt, aut diminuerunt, recederent.

20 Quinto deniq; etiā illi, qui necessitatē veri luminis gloriæ agnoscerūt; non tamen consentiūt, an de absoluta quoq; Dei potentia sit necessarium ad visionem, vt magis ex sequentibus assertionibus patefcer.

Assertio I. Impossibile est, vt per vires naturæ Deū ab intellectu creato, seu humano, seu Angelico, intuitiue & quidditatiue videatur. Ita S. Thomas hic q. 12. a. 4. & in 4. d. 49. q. 2. a. 6. & de verit. q. 8. a. 3. & 3. cont. gent. c. 50. cū quo hac in re consentiūt omnes Scholastici; quidquid de Angelis dubitauerit Maior in 4. d. 49. q. 4. Est q; de fide, saltē quoad intellectū humanū, cōtra Anomæos & Beguardos superius citat, ex Cōcilio